

DE CONTRACTIBUS IUDICUM VEL EORUM QUI SUNT CIRCA EOS
ET INHIBENDIS DONATIONIBUS IN EOS FACIENDIS
ET NE ADMINISTRATIONIS TEMPORE PROPRIAS AEDES AEDIFICENT
SINE SANCTIONE PRAGMATICA.

1.53.1

Imp. Iustinianus A. Menae pp.

Quicumque administrationem in hac florentissima urbe gerunt,
emere quidem mobiles vel immobiles res vel domus
extruere non aliter possint, nisi specialem nostri
numinis hoc eis permittentem divinam rescriptionem meruerint.

1 ¶ Donationes vero omnimodo recusent,
scientes non esse validas eas in quibuscumque rebus
et quacumque aestimatione, nisi post administrationem
depositam vel specialiter in scriptis donator
eandem donationem ratam habuerit vel tempus
quinquennale praeterierit, in quo nulla querella super
isdem donationibus vel ab ipso donatore vel ab
successoribus eius facta sit.

2 ¶ Provincias vero moderantibus
non solum donationes, sed etiam emptiones
quarumcumque mobilium vel immobilium rerum
praeter eas, quae ad alimonias vel vestem pertinent,
et aedificationes, licet sacri apices aliquid eorum
permiserint, penitus interdicimus, nec ratum sit,
quod his donatione vel venditione datum est, licet
quinquennale tempus post depositam administrationem
excesserit vel consensus donatoris vel venditoris
post eandem administrationem adiectus sit.

3 ¶ Haec autem etiam ad domesticos et consiliarios
eorum trahi necessarium duximus, illud etiam adicientes,
ut nec per interpositam personam aliquid
eorum sine periculo possit perpetrari.

4 ¶ Quae etiam ad praetenta negotia referri sancimus, nisi
transactionibus vel iudicationibus sopita sint.

D. Vid. Dec. Constantinopoli dn. Iustiniano A. II cons. [a. 528]